



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

Quæstio II. Ad Titulum II. de desponsatione Impuberum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

QUÆSTIO II.

Ad Titulum II. de desponsatione Impuberum,

584. **D**esponsatio Impuberum significat Sponsalia inita per impubes, vel inter se, vel cum puberibus, sive sint de præsentis, sive de futuro. Pubertas autem habetur in Masculis. 14. in feminis 12. ætatis anno; c. *Attestationes. b. t.* Agitur hoc titulo de ætate, non solum requisitâ ad valorem Sponsalium, de futuro, sed etiam de præsentis, atque adeo in quantum ætatis defectus est impedimentum dirimens matrimonium, cum tali defectu contractum,

ARTICULUS I.

De ætate ad valorem Sponsalium de futuro?

585. Prima quæstio est, qualis ætas in contrahentibus Sponsalia de futuro, ad eorum valorem requiratur. Resp. quòd septennium completum, ex c. 4. b. t. Cum enim quidam perfectæ ætatis quandam puellam in cunabulis desponsasset, & procedente tempore matrem puellæ cognovisset, & eam in Uxorem accepisset, dubitatum autem esset, an hujusmodi matrimonium stare debeat? Alexander III. respondit: quòd si præfatus Vir matrem puellæ, antequam illa septimum annum compleisset, in Uxorem accepit, *matrimonium non dissolvatur; cum desponsationes hujusmodi nullæ sint, quæ in cunabulis fiunt.* Verùm, si postquam puella septimum annum complevit, prædictus Vir Matrem ejus accepit Uxorem (cum Sponsalia ex tunc placere consueverint) inter eos sententia divortii non differatur promulgare; & nec ipsum filiam, seu matrem habere, permittatur.

586. Idem ferè casus habetur in c. *Accessit. s. eod.* ubi quæsitum fuit, an matrimonium Titii cum Matre puellæ teneat, quam prius, necdum septennem sibi Titius desponsaverat? Ad hoc enim idem Alexander III. Eboracensî Episcopo rescribens ait: man-

damus, quatenus si tibi confiterit, quòd puella non esset septennis, quando G. desponsata fuit, & postea in eum non consenserit, & quòd idem G. ab hujusmodi desponsatione per te fuerit absolutus, *matrimonium inter eundem G. & matrem puellæ celebratum præcipis inviolabiliter observari,* & eorum prolem denuncies esse legitimam; quia *desponsationes & matrimonia ante septem annos fieri non possunt, si consensus postea non accedit.* Sanè si præfata puella ante desponsationem septimum annum compleverat, licet prædictus Vir à desponsatione ipsius puellæ ipso jure fuerit absolutus, cum ea in eum consentire noluerit: inhonestum tamen videtur, ut matrem habeat, cujus filia fuit sibi desponsata.

Denique c. *ad dissolvendum 13. eod.* 587. Innocentius III. in casu accusati matrimonii, *interloquendo* inquit, *pronuntiavimus*, inter Juvenem & puellam nec matrimonium nec Sponsalia fuisse contracta: *cum constet, puellam nondum ad septennium pervenisse.* Quo circa nec accusatio locum habebat, cum non esset, quòd posset legitime accusari. Ex dictis juribus clarè sequitur, nec Sponsalia de futuro validè contrahi, nondum completo à contrahentibus, vel uno eorum septennio ætatis.

Quæstio altera est, an, & qualiter hoc septennium debeat esse completum, ad contrahenda validè Sponsalia? an necessarium sit, quòd sit completum physicè? an sufficiat, quòd moraliter? Primo modo completum dicitur, si nulla desit dies; licet Pirhing de *Sponsalibus Impub. num. 2.* censeat, sufficere, quòd ultima sit dies inchoata Arg. L. *Quà ætate. ff. qui testament. facere poss.* secundo modo completum dicitur, si vel malitia suppleat ætatem, vel si quis jam proximus sit septennio, ut contingeret in eo, cui deessent ad septennium physicè completum duo, 3. vel 4. dies; quia in morali, seu prudenti homi-

hominum iudicio, parum pro nihilo reputatur. Tunc autem malitia (hoc est, prudentia) dicitur supplere aetatem in infantibus, seu septennio minoribus, quando in aliquo, etiam ante illos annos, ea adest maturitas intellectus, ut capax sit intelligere obligationem Sponsalium, & super electione facienda praevis rationis iudicio, deliberare, ea nimirum deliberatione, quae ad graviter peccandum requiritur; his praemissis.

§89. Prima sententia docet, malitia supplente aetatem sufficere septennium hoc sensu moraliter complerum; sic Gonzalez in c. 5. h. t. n. 4. ubi ait: si prudentia suppleat aetatem, hoc est, defectum legitima aetatis, non officere Sponsalibus contrahendis, citans pro se P. Sanchez. l. 1. hic D. 16. n. 9. Basil. Pont. l. 12. de matr. c. 5. & alios. Ratio huius sententiae est, 1. ex c. Juvenis. 3. de Sponsalibus. ubi Pontifex rogatus, an Juvenis (qui puellam nondum septennem duxit) possit in Uxorem accipere Consobrinam ejus? respondit negativè propterea, quòd ex Sponsalibus puellae inter ipsum, ac huius Consobrinam, natum sit impedimentum justitiae publicae; igitur cum hoc jam non nascatur, nisi ex Sponsalibus validis, juxta Trident. Sess. 24. de Reform. matr. c. 3. Sponsalia cum nondum septenni, saltem ubi malitia supplet aetatem, valent.

§90. Secundo l. 14. ff. de sponsalib. dicitur: in Sponsalibus contrahendis aetatem definitam non esse, ut in matrimoniis; quapropter à primordio et aetatis Sponsalia effici posse, si modo, id fieri, ab utraque persona intelligatur. 3. Quia Sponsalia ordinantur ad matrimonium; at in hoc malitia supplet aetatem per c. 9. h. t. ibi: cum aetatem videatur supplevisse malitia; ergo etiam in Sponsalibus. 4. Quia septennium Sponsalibus praefixum est à jure, solum ob praesumptum rationis usum in ea aetate communiter praesentem, & non antè; si ergo constet veritas, quòd jam ante septennium adsit, cessat juris dispositio in tali praesumptione fundata.

§91. Altera sententia, priori contraria negat in Sponsalibus de futuro sufficere, quòd malitia suppleat aetatem. Sic Barbof. in c. Juvenis. 3. de Sponsalibus, ubi complures pro eadem refert. 1. Quia Sponsalia ante septennium physice completum con-

tracta, juris dispositione nulla sunt. Pat. ex c. literas. 4. de desponsat. Impub. ubi improbatur matrimonium Viri cum Matre puellae, illi in cunabulis desponsatae, si Matrem duxit in Uxorem, antequam puella septimum annum complevisset; non autem, si eam duxit, postquam puella septimum annum complevit, ut constat ex textu relato sup. hoc autem intelligitur de completo physice, quia intelligi non potest, de completo per proximitatem ad septennium; nec etiam existentiam intra illud; ut constat ex c. ad dissolvendum. 13. h. t. Nec etiam de completo solum moraliter, seu de malitia septennium proveniente. 1. quia ipsi adversarii, ut patet ex eorum fundamentis in n. §89. supponunt, quòd in casu c. Juvenis, relato n. §89. ante septennium physice completum in puella desponsata prudentia suppleverit aetatem; & tamen Sponsalia fuere nulla, & subsequens matrimonium cum ejus Consobrina validum.

Et ratio est, quia quando lex certum tempus requirit ad judicandam prudentiam alterius, non potest, vel per diem praeveneri. L. quae aetate. ff. de Testem. L. anniculus. ff. de Verb. signif. deinde quoties verba legis ad annos consummatos, seu completos referuntur (ut, cum dicitur: cum tot annorum fuerit, vel, cum tot annos compleverit, vel exceperit) tempus completum esse debet physice, nec sufficit inceptum esse c. Subdiaconus. 104. dist. 77. ubi dicitur Subdiaconus non minor 20. annis ordinatur; & glossa V. non minor; ait ita, quòd compleverit. 20. annum; c. Cum in cunctis. 7. de Elect. ubi requiritur aetas. 30. annorum exacta; licet aliud sit in dignitatibus secularibus, vel cum dicitur: non ante talem aetatem; ubi sufficit annus inchoatus, quo sensu intelligitur Trident. Sess. 23. de Reform. c. 12. his praemissis.

Resp. stando in jure positivo, non valere §92. Sponsalia ante septennium physice completum; licet malitia suppleat aetatem; aut contrahentes sint proximi septennio, id; quòd suadent rationes pro secunda sententia, quòd verum est 1. si prudentia tunc aetatem non suppleat; tunc enim earent iudicio ad deliberandum, prout requiritur; ut rectè not. Gonzalez. cit. n. 4. cum Sanchez cit. pariter n. 4. qui

con-

cedunt, ubi malitia non supplet ætatem, totum tempus septennii completum desiderari. Verum est. 2. Quia tempus *physicè* completum in hoc casu desideratur, esto ante illud adsit prudentia sufficiens, probat ratio in n. priori, & textus c. *litteras*. 3. b. t. ibi: *antequam septimum annum compleisset*. in c. *Accessit*. 5. eod. ibi: desponsationes, & matrimonia, *ante septem annos fieri non possunt*; quæ verba citra fundamentum juris per ly *moraliter*, ab aduersa parte restringuntur.

593. Ad 1. rationem in contrarium ex c. *Juuenis*. 3. de *sponsalibus*. Resp. in eo casu non reprobari matrimonium Juuenis cum Consobrino puellæ, prius illi, nondum septennis desponsatæ, *propter impedimentum iustitiæ publicæ* ex illis Sponsalibus utcunq; natum; sed an non ex sua fragilitate tentaverit, quod complere non potuit, vel puella, postea septennis, non ratificaverit priorem consensum, & sic Sponsalia convaluerint. Deinde esto Pontifex illud matrimonium reprobasset ob impedimentum iustitiæ publicæ, natum ex illis Sponsalibus; hinc tamen non sequitur, fuisse valida, ante septennium, malitiâ suppleta ætatem, ut aduersarii supponunt; quia olim ex Sponsalibus etiam invalidis ex alio capite, quàm defectu consensûs, nascebatur hoc impedimentum: at juxta ipsos non erant invalida ex defectu consensûs, cum prudentia suppleverit ætatem, ut fatentur, igitur ex solo defectu ætatis, seu septennii, *physicè* completi.

594. Ad 2. in n. 590. Resp. concedi à nobis, in Sponsalibus, ætatem non esse ita definitam, sicut in matrimonio, prout dicitur cit. l. 14. Primò, quia septennium non ita præscriptum est, ut, si constaret in ea ætate, etiam completâ, nondum adfuisse malitiam, seu prudentiam ad consensum, prout requiritur, Sponsalia tunc contracta, valerent. Hunc enim defectum jus positivum supplere non potest, ut per se patet; quamvis non forent irrita defectu ætatis; at matrimonium, completâ pubertate contractum valeret, esto tunc nondum adesset *potentia generandi*; cum hujus defectus sit solum temporalis; ita Sylvester. V. *Matrimon.* 5. q. 7. nec potentia ea (nisi perpetuò defutura sit) obsit matrimonio, sicut defectus consensûs.

Secundò pro matrimonio definitum est tempus *etiam proximum* pubertati c. *attributiones*. 10. b. t. ubi Juuenis, qui nondum completo 12. ætatis anno, mulierem duxerat, sed postea defectu ætatis pro matrimonio legaliter requisitæ in se, recusaverat, à mulieris impetitione absoluitur, *si constitierit, quòd Juuenis circa finem decimi quarti anni in eam non consenserit*. 3. pro matrimonio definitum est tempus, quo malitia supplet ætatem. ex cit. c. 9. de quo n. 590. ex c. *Tuanobis*. 14. ibi: *ætatem in ea prudentia non supplebat*: at neutrum reperitur in jure expressum de Sponsalibus, ut const. ex dictis, ubi cæteroquin authores, opinionis contrariæ, meritò se fundare poterant.

Dixi: concedi à nobis, ætatem pro Sponsalibus non ita esse definitam, sicut in matrimonio; sed per hoc ex illa l. 14. non probari sufficere, quòd in Sponsalibus prudentia suppleat ætatem; (jure requisitam pro Sponsalibus etiam de futuro) licet enim dicat, à *primordio ætatis statim posse Sponsalia perfici, si modò id fieri ab utraque Persona intelligatur*: statim tamen addit hæc verba: *id est, si non sint minores septem annis*. Accedit, quòd licet ea lex contrariis faveret, in hoc casu attendi non debet, cum in hoc jus Canonicum duntaxat considerari debeat.

Ad 3. Resp. à matrimonio, in hoc casu, non rectè duci paritatem ad sola Sponsalia de futuro. Nam de his quoad casum temporis, quo contrahentes vel sunt pubertati proximi, vel malitia ætatem supplet, nihil omnino expressum est in jure, secus pro matrimonio ex num. 590. nec etiam ratio pro his militat pro illis. Nam pro matrimoniis statuendi sufficiens tempus, etiam pubertate non completâ *physicè*, fuit periculum incontinentiæ in his, qui vel pubertati proximi sunt, vel ante juris annos copulæ idonei sunt, prout patet ab exemplis, quæ refert D. Gregorius lib. 4. *dialog.* ubi narrat, puerum novem annorum ingravidasse nutricem suam; & Corradus lib. 4. *dispens.* *Apostol.* c. 2. n. 12. idem affirmat de puero 10. annorum, ex D. Hieronymo, ubi addit, Neapolitanam puellam peperisse, cum esset 10. tantum annorum.

Ad 4. Resp. dispositionem juris, qua fundatur in præsumptione meri facti, cedere veritati; non autem, qua fundatur in præsumptione probabilis periculi, uti alias dixi, lib. 1. decret. tit. 2. de Constitut. alias professio religiosa, contra constitutionem Tridentini facta, ante completum 16. ætatis annum (quia prius non præsumentur adesse sufficiens prudentia, se perpetuò in tali statu obligandi) valida foret, ubi constaret, quòd malitia ætatem suppleat; quòd tamen dici non potest. Quare negandum est, illam juris dispositionem fundari in sola præsumptione, præsertim meri facti. Ecclesia enim propterea tempus illud completi septennii, & non prius, tanquam terminum insufficientiæ communiter contingentis esse voluit, ut evitarentur confusiones, lites, & fraudes nascituræ, si tempus malitiæ suppletis ætatem, quòd valde incertum est, permittum esset, prout videri potest ex tot casibus hoc titulo contentis. Cùm autem vulgare sit inter Theologos, & Juristas: *malitia supplet ætatem*, ut habetur c. de illis, de despons. impub. & c. unico, eod. in 6. quaeri potest, quid inibi per *malitiam* intelligatur, cui tribuatur vis supplendi ætatis defectum? Resp. quòd gloss. in c. de illis pro *malitia* intelligat *prudentiam*, idque probat ex c. ult. eod. ubi sic: Respondemus, quòd si puella nubilus non erat ætatis, cum sepe fatus Vir desponsavit eandem, *Et ætatem in ea prudentia non supplebat*, proculdubio inter eos non conjugium, sed Sponsalia contracta fuerunt. Citatam glossam allegat Tannerus, qui pro *malitia* interpretatur *sapientiam, discretionem, & doli capacitatem*. Favet Sanchez, qui lib. 1. Matr. dispens. 16. n. 8. & 9. affirmans, valere Sponsalia ante septennium, *si malitia suppleat ætatem*, exponit, *si eo tempore rationis usus contrahentibus ad sit*.

Barbosa verò, in c. fin. n. 3. ut verificetur, quòd pro contrahendo matrimonio, malitia suppleat ætatem, requirit duo copulative, nimirum potentiam ad carnalem copulam, & prudentiam ad discernendam vim conjugalis consensûs. Sic Barbos. in c. fin. de despons. impub. num. 3. Sanchez. l. 1. D. 16. n. 13. primum autem adesse, probatur patenter, circa poten-

tiam generandi ante pubertatem, si femina impubes ab alio cognita fuerit; vel puer impubes talem aliam feminam cognovit, copula verò subsequuta in muliere probatur ex relatione obstetricum, deputatarum per Judicem ad id dignoscendum. Et hæc probatio passim admittitur urgente necessitate, ne matrimonium jam contractum dissolvatur; sic Barbos. in c. 9. de despons. impub. n. 5.

Tertia quaestio est, an peccent, qui ante legitimam ætatem contrahunt Sponsalia de futuro? Resp. quòd affirmativam, cum aliis, sequatur Bonacina q. 1. de sponsal. p. 4. n. 6. & Sylvester. V. Matrimonium, s. n. 6. qui hoc extendunt etiam ad eos, qui consulunt, aut inducunt septennio minores ad contrahendum, ex c. 2. b. t. ibi: *distriktius inbibemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter, ad ætatem legibus vel Canonibus determinatam, non pervenerint, conjungantur*: sed oppositum probabilius est; ita Sanchez. l. 1. hic D. 27. Quia contrahere Sponsalia de futuro ante completum septennium, nullo jure prohibitum est. Nam c. 2. loquitur de contractu Matrimonii, ut colligitur ex illo verbo, *ne conjungantur*; Sponsalia enim de futuro non sunt *Conjunctio*, sed *conjunctionis promissio*; sic Barbos. in cit. c. 2. n. 2. cum enim ea lex pœnalis sit, extendi non debet ad *Conjunctionem* solum *in spe*, seu per modum dispositionis, qualis sit per Sponsalia de futuro. Sed nec intelligi potest de *Conjunctione per carnalem copulam*. Nam hæc neque causâ boni publici sine animorum seu consensûs mutui conjunctione, concedi potest; ergo loquitur solum de *Conjunctione animorum*, nimirum per ipsum matrimonii contractum.

Si quaeras, an Sponsalia de futuro, nulla defectu ætatis, convalescant expressâ vel tacitâ ratificatione, postquam debita ætas advenerit? Resp. affirmativè, ex c. Accessit. s. b. t. ibi: quia desponsationes ante legitimam annum fieri non debent, præsertim, *si consensus postea non intervenit*; ergo factæ valebunt, si consensus postea intervenerit. Cùm enim in hoc casu invaliditas unice proveniat ex defectu consensûs *in ætate legitima*, sublato eo defectu per consensum *in ætate legitima*, cæteris persistentibus cessabit invaliditas.

ARTICULUS II.

De aetate ad valorem Sponsalium de presenti.

601. Ante resolutionem supponendum, pubertatem aliam esse naturalem, aliam legalem. Illa est, quam retulimus n. 599. ex Barbosa; ista verò Jure Canonico censetur adesse (in ordine ad validè contrahendum matrimonium, quantum est vi sufficientis aetatis) non tantùm ex numero annorum, sed etiam licet ad eos annos nondum perventum sit, modo prudentia suppleat aetatem; juxta n. 595. vel contrahentes sint proximi pubertati. Si autem quæras. 1. qualis debeat esse numerus annorum? Resp. quòd ille, quo quis de jure pubes dicitur, ut ait P. Thomas Sanchez. lib. 6. Matr. d. 38. num. 2. juxta quem pubes, seu puber dicitur masculus post quatuordecim annos completos, & femina post duodecim similiter completos. Pubertas igitur hujusmodi aetas est, ante quam puer dicitur impubes, seu pupillus; femina autem, pupilla: plena pubertas Viris contingit 18. aetatis anno, feminis 14. L. Arrogatio ff. de adoption. & L. Mela, ff. de alimen. & cibariis leg. Sanchez. lib. 7. D. 103.

602. Si quæras. 2. quando quis censetur proximus pubertati? respondet Pyrrhus Corrad. lib. 4. dispens. Apostol. cap. 3. d. num. 2. Cùm nihil in hoc definitum sit in jure, definiendum Judicis arbitrio, hoc est, prudenti judicio. Arg. L. 1. ff. de Jure deliberandi; at juxta Sanchez. cit. l. 1. D. 51. num. 24. approximare pubertati in hac materia dicitur puer, decimum annum cum dimidio excedens; & femina, cùm excedit nonum, & dimidium. Hinc ante istam aetatem uterque dicitur infantiae proximus. Et hæc expositio (quam tradit Sanchez) fundatur in jure.

Nam cùm puella infra nubilem annos in Uxorem cuidam tradita fuisset, & ad nubilem annos perveniens, alii nubendi licentiam postulasset, audita non fuit, nec separata, ut habetur in c. Continebatur. 6. b. t. ff. (ut ibid. loquitur Alexander III.) fuerit nubili aetati proxima, hoc est, ut idemmet Pontifex exponit: si in undecimo, vel circa duodecimum annum ei cum

suo consensu fuit desponsata. Hinc, licet valeat matrimonium in initum ante pubertatem, quæ scilicet habetur ex numero annorum, si adit pubertas legalis, malitiæ suppletis aetatem, vel proximitatis ad annos requisitos; in dubio tamen, non præsumitur adesse potentiam generandi ante annos jure expressos, quòd hoc rarius contingat; ita Sanchez l. 7. hic. D. 104. præter quod notandum, diversam aetatem in Viris, & feminis pro matrimonio, eandem autem in Sponsalibus, definitam, propterea, quòd ad Sponsalia sufficiat rationis usus, qui eodem ferè tempore Viris & feminis advenit; ad matrimonium autem potentia generandi desideretur, quæ tardius in Viris reperitur; sic Barbof. in c. literas. 4. hoc tit. num. 3. Ex dictis colliges, valide contrahi matrimonium (quantum est vi aetatis) à puberibus, sive naturaliter, sive legaliter talibus, adeoque illos, qui alterutro modo sunt puberes, non impediri à matrimonio jure contrahendo ex defectu aetatis; qui cæteroquin carentibus dicta pubertate præstat impedimentum dirimens matrimonium eo defectu stante contrahendum, aut contractum. Ex quo ulterius sequitur, matrimonium ab impuberibus inter se, vel cum pubere contractum, esse jure nullum, defectu aetatis.

Quæres, an peccent contrahentes matrimonium ante legitimam aetatem? Resp. negativam doceri à P. Sanchez. sup. cit. quia licet in c. 2. b. t. districtius inhibeatur, ne aliqui, ante aetatem jure determinatam, conjungantur; hoc tamen non intelligitur de conjunctione per consensum conjugalem, sed per carnalem copulam. 2. quia ejusmodi matrimonia impuberum non valent in vi matrimonii, sed tantùm in vi Sponsalium; sed contrahendo Sponsalia ante aetatem jure determinatam non peccant, ut dictum est: ergo nec contrahendo matrimonium,

Oppositum tuetur P. Robertus König b. t. n. 3. volens committi grave sacrilegium non secus, ac si adulti cum impedimento dirimente contraherent, vel in aliis Sacramentis Minister talem defectum committeret, ut Sacramentum invalidum redderetur. Nec obstare censet, quòd ejus-

eiusmodi matrimonia habeant duntaxat rationem Sponsalium. Nam hoc ipsum, inquit, est sacrilegium, usurpare materiam, & formam Sacramenti; imò intendere Sacramentum perficere in talibus circumstantiis, ubi non potest valere ut matrimonium, & Sacramentum, sed tantum ut Sponsalia, quæ minimè sunt Sacramentum.

604. Quantum attinet sententiam Patris Sanchez, verbum illud, *ne conjungantur*, non videtur exponi posse, nisi de conjunctione per consensum; non autem de conjunctione per carnalem copulam. Quia illam conjunctionem ante ætatem, jure determinatam, Pontifex in cit. c. 1. *Ubi non est. 2. h. t. districtius inhihet*, quæ concedi non potest, nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente (ut si pro bono pacis) toleretur, sed copula carnalis sine animorum conjunctione nec in urgentissima necessitate toleratur; ergo conjunctionem per copulam carnalem, sine conjunctione animorum in cit. c. 2. Pontifex non inhihet; ergo inhihet conjunctionem animorum per matrimonium ante ætatem jure determinatam.

Sed nec ratio affirmantis placet. Vel enim loquitur de impuberibus, qui matrimonium, ante ætatem jure determinatam contrahunt, scientibus nullitatem matrimonii, sic contracti, vel ignorantibus? si de ignorantibus? quod assumit, locum non habet; quia nec contrahentes cum impedimento dirimente, nec Minister consecrando materiam incapacem, (ignorans incapacitatem) committit sacrilegium formaliter; nam de materiali hic non agitur.

Si autem de scientibus? non videtur eo casu posse quis velle impedire matrimonium, vel Sacramentum, sciens impubertatem obstare valori contractus. Quis enim efficaciter velit, quod scit fieri non posse, nisi forsan ex pura malitia velit, exercere actus illos externos in contemptum Sacramenti; & de hoc solum casu loqui videtur textus in c. 2. Cum fieri possit, quòd vel ipsi impuberes se; vel alii quandoque, cupiditate lucri, quod sperant ex eiusmodi conjunctione; etiam scientes prohibitionem legis, impuberes conjungant, parentes eorum nomine co-

ram illis contrahendo, Parochus; & Testes assistendo. Et tali casu contrahendo, non est dubium, peccari à scientibus, se nulliter agere.

Deinde dupliciter fieri potest, quòd 605. quis (potens conficere Sacramentum,) scienter usurpet materiam, & formam Sacramenti, quin conficiat Sacramentum, primò quando id agit sine animo conficiendi Sacramentum; secundò quando id agit cum illa intentione, sed sciens materiam v. g. hic & nunc esse affectam aliqua circumstantià, ratione cujus nequit esse idonea Sacramento; & in hoc casu contingit irreverentia rebus sacris; cum, ut ponitur in casu, scienter pronuntiet formam nomine Christi; id, quod non habet forma prolata non nomine Christi.

ARTICULUS III.

An parentes, loco Impuberum, Sponsalia valide contrahant?

Non est dubium, apud omnes pro- 606. pègentes, quasi jure patrio, Parentes liberis suis providisse de conjugis, prout allatis exemplis copiosè demonstrat Gonzalez in Tit. de desponsatione Impub. à n. 1. & quamvis ad liberorum nuptias consensus parentum apud omnes propè Nationes, ac utroque jure, saltem ex decencia, & honestate requiratur ex dict. à n. 132. ad valorem tamen matrimoniorum, quæ illorum liberi contrahunt, minimè desideratur ex dict. ibid. Quando autem licitè etiam prætermittatur, ex eod. loco colligi potest. Quæstio in præsens est, an parentes loco suorum liberorum, sine aliquo ipsorum assensu, validè contrahant Sponsalia, vel matrimonium. Resp. de hoc agi in c. Tua nos. 1. h. t. cum enim Eusebius Episcopus quævisisset ex Pontifice, an Pater, pro filio suo adulto possit matrimonium contrahere, si id facit sine voluntate illius filii. Honorius Papa respondit: *si aliquo modo non consentit filius, fieri non posse; potest autem filium nondum adultum (voluntas cujus discerni non potest) pater, cui vult, matrimonico tradere. Et postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere.*

Ex hoc textu deducitur conclusio negativa. Nam certi juris est, eum consentum, quo confurgant Sponsalia de presenti, vel futuro substantialiter exigi, qui est ipsorum contrahentium, & sine illo nihil effici, ut sæpe dictum est in superioribus. Quare, licet possint promittere Sponsalia, vel matrimonium; ex hoc tamen nec Sponsalia, nec obligatio naturalis confurget in eorum liberis, nisi completo septennio promissionem parentum ratam habeant? Ratio primi est; quia etsi promissio alieni facti de jure civili regulariter non valeat, ut alterum, cujus factum promittitur, obliget. §. *si quis alteri*, & §. *si quis aliam Instit. de Inutil. stipulat.* de jure tamen Canonico recipitur, quoad factum proprium seu conatum, & industriam, seu curam, ut fiat, quod promittitur; ut not. Sanchez. l. 1. hic D. 24. n. 12. dixi: jure civili regulariter non valere promissionem alieni facti, nimirum nisi firmetur adjectâ poenâ; juramento, vel sit de matrimonio. Ceterum si talis promissor, præstito suo conatu, quem debet, non consequatur effectum ex alterius voluntate pendentem, non tenetur ad poenam promissioni adjectam; quia non est justum, poenâ effici eum, qui nullius culpæ reus est. Arg. L. *fin. ff. ad L. Rhod. de jactu*; excipe, nisi adjectâ poenâ promiserit fraudulenter, sciens, aut debens scire, non obventurum factum alienum, ad quod curandum se obligavit; quia aliâ non satisfaceret deceptioni factæ.

607. Ratio secundi est, ex c. 1. de despons. impub. ubi dicitur, Sponsalia contracta per parentes, pro filiis adultis non valere, nisi, postquam pervenerint ad legitimam ætatem, approbaverint; ergo à fortiori, si pro infantibus, nisi, quando ipsi consentire possunt, ea approbaverint. Hinc prior illa parentum promissio tacitam habet conditionem: *si infantes, postquam legitima ætatis fuerint, eam receperint*; id, quod aperte decum est in c. *Unic. eod. in 6.* ibi: *si infantes, ad invicem, vel unus major septennio, & alter minor, Sponsalia contraxerint ipsi, vel parentes pro eis, nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu aliâs verbo, vel factis ipsorum liquidò appareat, eosdem in eadem voluntate, factos majores septennio, perdurare: Sponsalia hujusmodi, que ab initio nulla erant, per lapsum*

dicti temporis minimè convalescunt; & hæc de Sponsalibus pro liberis necdum, septennibus, quæ ipsorum loco, sed sine eorum assensu parentes contraxerunt.

Quæstio altera est, an parentes loco liberorum impuberum, sed septennio majorum, Sponsalia validè contrahant? Resp. non posse contrahere, ut firma sint, siæ ipsorum liberorum, saltem tacito consensu, const. ex cit. c. 1. h. t. & c. *Unic. eod. in 6.* ubi Pontifex ad quæstionem: an Pater possit filium adultum matrimonio collocare? respondit: *si aliquo modo non consentit filius, non posse.*

Dices tamen, si Pater Sponsalia contraxit pro filio non adulto, (cujus scilicet voluntas discerni non potest, nimirum si necdum septennium complevit) postquam ad perfectam ætatem pervenerit, omnino debet adimplere, ut dicitur cit. c. 1. h. t. ergo etiam, si contraxit pro adulto; nam uterque idem habet debitum pietatis respectu parentum, etiam quoad Sponsalia, vel matrimonium, à parentibus, saltem eorum bono, contractum. Resp. ibi solùm significari debitum decentiæ, & honestatis, non necessitatis, ut not. gloss. in cit. c. 1. in casu, & V. *debet*, de quo plura superius dicta sunt. Quid autem, & quantum eos obliget debitum pietatis? ibid. exposuimus.

Ceterum quòd *ly omnino debet*, ibi 609. dem non importet, nisi solùm decentiæ debitum, ex eo etiam confirmari potest, quòd in cit. c. *Unic. de despons. impub. in 6.* §. *Est idem* expressè dicitur: quòd ex Sponsalibus, per parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus, contractis, ipsi filii non obligentur, (nimirum obligatione naturali) nisi expressè, vel tacitè consenserint, si presentes sint; vel, si absentes, certiores facti, ratificaverint. Neque dicas; ergo saltem valebunt, si parentes contrahant in eorum præsentia; si nihil contradicant; vel in eorum absentia, si postquam id rescientes taceant: Sed ad hæc jam constat ex dictis à n. 63. & seq. Dices. 2. Textus c. 1. expressè dicit: *potest autem (Pater) nondum adultum* (voluntas cujus discerni non potest) cui vult, matrimonio tradere, ubi notanda est particula *autem*, quæ denotat *ly potest*, in hoc casu sumi adversative contra verbum *non potest*, quod prius dictum est, de adulto; ergo per verbum potest

ARTICULUS IV.

Quam firmitatem habeant Sponsalia
Impuberum?

Quæstio est. i. an, si duo impuberes 611.

legitimè contraherent Sponsalia de futuro, mutuo consensu possint ab illis recedere, & sic dissolvere, prout supra dictum est, dissolvi posse à puberibus? Resp. tali casu neutrum posse ante pubertatem rescilire c. de illis 7. b. t. ubi Alexander III. ita loquitur: de illis, qui intra annos aptos matrimonii Sponsalia contrahunt, sive uterque, sive alter reclamer, antequam ad annos matrimonii factos pervenerint, & postulent separati, non sunt nullatenus audiendi. Si verò alteruter istorum ad annos pubertatis pervenerit, intra eosdem annos altero existente, cum Sponsalia contrahuntur: si is, qui minoris ætatis est, cum ad annos illos pervenerit, reclamaverit, nec in alterum voluerit consentire: iudicio Ecclesie poterunt ab invicem separari. Mulier autem, que, postquam annos nobiles attingit, ei, qui nondum ad annos aptos matrimonii venerat, nupsit, cum in eum semel consenserit, amplius non poterit dissentire, nisi ipse, cui nupsit, postquam ad legitimam ætatem pervenerit, in eam suum negaverint prestare consensum. Idem habetur in c. à nobis. 8. eod. ibi: tua discretio requisivit, utrum iis, qui intra annos nobiles matrimonii nomine conjunguntur, vel eorum alteri, antequam ad annos aptos matrimonio perveniant, liceat à matrimonio tali discedere? Ad quod respondemus, quòd pro eo, quòd ante nobiles annos conjugalem consensum non habent, usque ad legitimam ætatem expectare tenentur: & tunc aut confirmetur matrimonium, aut (si simul esse noluerint) separentur, nisi carnalis commixtio ante intervenerit, cum interdum illa tempus anticipare soleat pubertatis.


Ex hoc colliges. i. Sponsalia duorum 612.
impuberum adeò obligare, ut ante pubertatem mutuo consensu dissolvi non possint; secus, completà pubertate. Ratio primi est, ne in ætate illa adhuc fragili, propter inconstantiam animi, frequenter nimium fiant ejusmodi contractus, & faciles recessus, qui multis quandoque licibus, etiam alios implicare so-

U 3

sent.

potest Patri conceditur, pro non adulto; cuius contrarium negatur Patri pro adulto: sed pro adulto negatur illi posse contrahere, ut obligetur; ergo pro non adulto conceditur ei posse contrahere, ut obligetur. Ante responf. nota, in hoc cit. c. i. per adultum intelligi majorem septennio; adultus enim hic sumitur prout opponitur non adulto, cum de utroque textus agat. Pontifex autem per non adultum ibi intelligit eum, cujus voluntas discerni non potest, ob ætatis imbecillitatem, ut est minor septennio; ergo hic adultus sumitur pro majore septennio; quo posito Resp. cum dist. textus expressè dicit, quòd Pater non adultum, cui vult, possit matrimonio tradere, si accedat illius deinde consensus expressus, vel tacitus. C. secus N. anteced. ex dict.

610. Ad particulam autem, cujus observatio proponitur, Resp. illam omnino esse adversativam, ut dictum posterius; inferat oppositum ejus, quòd in anteriori continetur, non in quolibet sensu, sed eo, quem intendit Pontifex. Quando igitur Pontifex dixit, quòd Pater filium adultum non possit matrimonio tradere, ly non potest fundatur in eo, quòd adultus, seu septennio major, ipse possit voluntatem suam declarare; adeoque, non deceat, ut ejus loco id faciat Pater ejus; id, quòd non habet, non adultus, seu septennio minor, cum ejus voluntas discerni non possit. Non igitur intendit illationem contrariam, quam vult objectio, ut, cum Pater non possit contrahere pro adulto, ut is inde naturaliter obligetur, per contrarium possit contrahere pro non adulto, ut is inde naturaliter obligetur: sed, cum non possit contrahere pro adulto, quia hic ipse potest consentire, ut ejus voluntas discerni possit; possit tamen contrahere pro non adulto, quia hic ipse consentire non potest, ut ejus voluntas discerni possit, ut ait textus. Ex quo tamen non sequitur, per eum Patris contractum pro non adulto haberi prius Sponsalia, vel matrimonium, quam accedat ejus consensus; sed solum haberi promissionem de procurando deinde, cum adoluerit, ejus consensu; quòd libenter admittitur.



lent. Ratio secundæ est, ex beneficio juris sic disponentis, ut Sponsi maturiores facti, vel amplius confirmati, quod in minori ætate statuerunt; vel rescindere possint, quod minus maturè prius promiserunt; quo habetur, ex istis Sponsalibus nasci quidem vinculum, ut ante pubertatem adeptam, ea tales impuberes rescindere non possit; non tamen eam firmitatem, ut id nequeant eâ adeptam.

613. Coll. 2. in casu, quo duo impuberes contraxerunt Sponsalia, licitum esse illi resiliere, qui citius pubertatem attigerit, etiam altero non expectato, si nolit in eum consentire. *c. de illis. 7. b. t. ibi: si verò alteruter ipsorum ad annos pubertatis pervenerit, intra eosdem annos altero existente, cum Sponsalia contrahuntur, si is, qui minoris ætatis est, cum ad annos illos pervenerit, reclamaverit, nec in alterum voluerit consentire, iudicio Ecclesiæ poterunt separari. Nam frustra expectatur eventus (dum nimirum alter pubes fiat) cuius nullus est effectus c. Cum contingat 36. de Offic. Jud. Delegat.*

614. Dices. I. ergo; si ex duobus Impuberibus is, qui citius pubes fit, reclamaverit, non erunt separandi, quia in cit. c. 7. dicitur: si is, qui minoris est ætatis, in alterum noluerit consentire, separandos esse. Resp. N. illatum; licet iste id non habeat privilegio contractus in impubertate facti, cum teneatur expectare pubertatem ejus, qui est minoris ætatis; poterit tamen reclamare, cum iste pubes fuerit, ne, ubi nullus amplius est animus ad illum, matrimonium infelicem exitum, fortiatur. Nam quod dicitur de illo, qui minoris est ætatis, non dicitur restrictivè ad illum tantum; sed positivè, nimirum, etiam illo reclamante, separandos esse.

615. Dices. 2. ergo Sponsalia impuberum etiam adeptâ pubertate, uno, vel utroque reclamante, non ipsorum consensu; sed Ecclesiæ solam iudicio solvi possunt; quia in cit. c. 7. dicitur: iudicio Ecclesiæ debent separari. Resp. id verum esse, ubi abest certitudo causæ, & facti; secus, cum adest. Sic Barbof. in cit. c. 7. n. 4. vel dic cum P. Sanchez. l. 1. hic. D. 69. num. 11. id procedere, si impubes, factus pubes, coram Iudice Ecclesiastico reclamaverit;

præsertim si ab altero contra discessum suum in iudicio postuletur. Cæterò quoniam, ubi ambo jam puberes sunt, idem juris de his est, quod aliis, qui puberes contraxerunt. Textus in *c. de illis*, ei, qui pubes contraxit, non imponit onus aliud, quàm quod reclamare non possit ante pubertatem ejus, qui minoris fuit ætatis.

Coll. 3. ut impuberes post pubertatem, Sponsalia prius inita, reclamando contra illa, dissolvere possint, sufficere pubertatem attigisse; sic Castropalaus de sponsal. d. 1. pag. 17. num. 5. sic enim sunt pubertati proximi per dicta supr. & consequenter puberes legaliter; adeoque non minus ad resiliendum à Sponsalibus impubertate contractis; quàm ad matrimonium contrahendum, impubertate. Hæc autem potestas reclamandi contra prima Sponsalia, adeptâ pubertate, procedit in utroque foro; sic Pirhing. b. t. num. 7. cum Jure Canonico, ut præmissum est; expressè concessa sit; quod nihil utriusque iniquum pro foro fori, vel poli, admittit.

Coll. 4. Puberi, qui cum impubere contraxit Sponsalia, non dari hoc jus adversum illa reclamandi, ante alterius pubertatem *c. de illis. 7. hoc. tit. §. Mulier ibi: Mulier autem, quæ postquam annos nobiles attigit, ei, qui nondum ad annos aptos matrimonii venerat, nupsit; cum in eum semel consenserit, amplius non poterit dissentire, nisi ipse, cui nupsit, postquam ad legitimam ætatem pervenerit, in eam suum negaverit præstare consensum. Neque dicas: si talis non potest reclamare, ante alterius pubertatem; ergo poterit saltem post alterius pubertatem. Sed hanc illationem esse nullam, constat ex c. 4. de Verbor. signif.*

Coll. 5. quando parentes Sponsalia contrahunt pro filiis impuberibus, istis, quousque puberes fiant, non dari potestatem resiliendi; Sanchez. cit. D. 51. n. 22. Ratio est eadem, quæ in prioribus; & constat ex dict. in CC. num. 611. supr. Ubi adverte, hoc jus, concessum impuberibus ad reclamandum adeptâ pubertate, contra priora Sponsalia, procedere, licet Sponsalia fuerint jurata; sic Castropal. cit. n. 9. contra Sanchez. D. 51. à num. 23. quia contrarium nullo jure cautum est; nam quan-

quando in c. ex literis 10. de Sponsalibus dicitur (eos impuberes, qui Sponsalia contraxerunt, et juramento confirmaverunt, cogendos esse, ut contrahant) ex quo aliqui deducunt, juramento vitium ætatis purgari, contractum firmari, & irrevocabilem reddi; sermo est de impuberibus, ita pubertati proximis, ut contrahere possint matrimonium de præsentibus, & Sponsalia firma; ergo juramentum ibi non confirmat, nisi Sponsalia puberum saltem moraliter talium.

619. Coll. 6. ut impubes, factus pubes, reclamando contra Sponsalia in impubertate contracta, licite resiliat, debere reclamare statim, & incontinenti; aliàs enim censetur ratificare, & in priori voluntate persistere; ita Sanchez. l. 1. D. 51. num. 15. qui num. 16. ait: si impubes, ante pubertatem, à Sponsalibus resiliat, nec illum dissentium pubes factus mutet, Sponsalia manere dissoluta. Statim autem, seu illico reclamare censetur, qui intra triiduum reclamat, postquam agnoverit, se pubertatem attingisse. Arg. L. fin. C. de errore advocati; sic Pirhing de desponsat. Impub. num. 7. Porro ad reclamationem illam, seu dissentium, dicit Sanchez. D. 15. num. 16. sufficere actum internum: sed Castropal. cit. num. 5. requirit externum, coram Episcopo, ejus Vicario, vel, (in horum defectu) coram aliis personis honestis, eò quòd contractus Sponsalium requirat consensum externum, sed probabilius est, sufficere, quòd docet Sanchez, ut in re, & foro poli, reclamans liber sit; nam minus requiritur, ut desinant; quàm, ut fiant Sponsalia: ad probandum ramen, & in foro fori rectius dicitur, quòd affirmat Castropalaus.

620. Quæres, an matrimonia impuberum sint omnino nulla? Resp. non esse dubium, matrimonia impuberum, ante legalem, vel naturalem pubertatem contracta, esse nulla, in vi matrimonii; quia defectus ætatis, jure præscriptæ ad matrimonium validè contrahendum, est impedimentum dirimens ex num. 602. ad matrimonium autem validè contrahendum, jure præscripta est pubertas saltem legalis ex num. 602. & 621. Dubitari autem potest, an, licet ea matrimonia invalida sint in vi matrimonii, saltem valeant in vim Sponsalium? præsertim, si nulliter contracta sint

non tantum ex defectu ætatis, sed etiam solemnitatis substantialis, seu formæ à Tridentino præscriptæ? sed ad hoc jam responsum est, à num. 83. & sequentibus.

Sed præter inibi dicta. not. 1. quòd 621. licet jure naturali ætas aliquorum annorum requiratur ad matrimonium contrahendum, determinatio autem ejus (quòd requiratur in masculo ætas 14. in femina verò. 12. annorum completorum) esse juris tantum humani, tempus illud pro sufficienti statuentis, quòd in ea annorum ætate communiter adesse solet habitas, seu potentia generandi, licet quandoque in aliquibus præveniat, in aliis tardius accedat; quo fit per numerum expressorum annorum, & hoc tempus determinatum, haberi pubertatem legalem ad effectum matrimonii validè contrahendi, licet nondum in contrahentibus adsit pubertas realis, seu naturalis, quæ consistit in vigore nature, quem ostendit habitus corporis, jam sortiti potentiam ad generandum, de qua c. Puberes. 3. b. t. Et quoniam hoc quandoque, ut dictum est, prævertit annos jure determinatos, etiam illa recipitur, & pro legali quoque pubertate ad eundem effectum in jure habetur, ut dictum est in præcedentibus.

Not. 2. impedimentum ex defectu 622. ætatis, quoad discretionem, seu prudentiam, ad debitè consentiendum, esse juris naturalis, ac indispensabile; secus, quoad solum numerum annorum; sic enim est tantum juris humani Ecclesiastici, consequenter eodem jure dispensabile à Pontifice; ab inferiore autem non nisi ex urgentissima necessitate boni communis, ut constat ex cap. 2. b. t. de quo jam supr.

Not. 3. Quando certum est, quòd 623. malitia prævertat annos jure præscriptos ad matrimonium validè contrahendum, non esse opus dispensatione; quia sic non laborant impedimento ex defectu pubertatis legalis; sic Pyrrhus Corradus cit. l. 4. c. 3. n. 16. ubi subjungit, quòd ex stylo Romanæ curiæ, in dato casu malitiæ suppletis ætatem notabili tempore, priusquam perveniant ad annos aliàs determinatos, precibus, vel ab eorum parentibus, vel in horum defectu, proximioribus Consanguineis dispensatio peratur; quamvis in re non tam dispensatio, quàm declaratio fit,

fit, defectum eorum in tali casu non ob-
stare.

ARTICULUS V.

*Quem effectum præsent desponsatio-
nes Impuberum?*

624. Resp. constare ex dictis primò, des-
ponsationes impuberum, ante comple-
tum septennium, nullum effectum *in ipsis*
præstare; *in parentibus* verò, qui ipsorum
loco contrahunt, obligationem præstandi
conatum, ut ad præteritatem legitimam, in id,
quod eorum loco promiserunt, consentiant;
secundò desponsationes impube-
rum *per verba de presenti*, factas ante
pubertatem naturalem, vel legalem; ipso
jure nullas esse, sic enim factæ sunt cum
impedimento dirimente; at quoniam,
ut dictum est, num. 83. eo casu valent in
vim Sponsalium de futuro, illis idem, qui
his, effectus tribuendus. Cùm autem im-
puberes, septennio majores, Sponsalia
de futuro validè, licitèque contrahant,
quantum est vi ætatis, de his quæstio est,
quos effectus præsent? 1. an obligent *na-
turaliter*; 2. an sint mutuo ipsorum con-
sensu indissolubilia? 3. an, & qualiter
præsent impedimentum publicæ Justitiæ,
seu honestatis? sed ad. 1. constat ex n. 146.
ad 2. à n. 611. ad 3. ex dictis à n. 196.

625. Pro reliquis ad hunc titulum perti-
nentibus not. 1. quando in c. *Tua nos*. 1.
h. t. dicitur, quòd Pater *pro filio impubere*
(qui minor est septennio) possit Sponsa-
lia contrahere, quæ, cùm adoleverit, *te-
neatur* adimplere; *pro pubere* verò non,
nisi consentiat, textum non intelligi de
debito præcepti, sed honestatis, ut dixi-
mus loc. cit. sicut enim filius, vel filia ho-
nestè exigit consensum Patris, quando
vult nubere, quin eo non petito vitietur
matrimonium contractum, ut docet
Covarr. *de sponsal. pag. 2. cap. 3. §. 8. num. 1.*
& complures alii: sic etiam honestè se-
quitur Sponsalia parentum pro impubere
contracta, quin illis neglectis contra-
hens cum alia, exinde hic contractus in-
validetur.

626. Not. 2. quando dicitur, Patrem *pro*
impubere infra septennium constituto pos-
se contrahere Sponsalia, *non autem pro pu-
bere, nisi consentiat*, non esse intelligend-
um, quòd ea Patris promissio pro im-

pubere, quantumvis à Promissario acce-
ptata, etiam cum repromissione, faciat
Sponsalia vera, & in re (hæc enim non stant
sine consensu proprio personarum præsti-
to, vel personaliter per ipsosmet Spon-
sos, vel Procuratorem ab ipsis ad hoc speciali-
ter constitutum) sed tantum Sponsalia *in*
spe, & tacitè imbibitâ conditione, *si*, cùm
propria voluntate consentire poterit,
natum habuerit, quod ejus nomine à parente
gestum est.

Ne tamen ea verba (*omnino debet*) 627.
careant effectu, qui eis *præter debitum ho-
nestatis* tribui potest, dicendum aliqui exi-
stimant, ultra debitum honestatis, etiam
aliud debitum imponi liberis ex Sponsali-
bus à Patre pro illis contractis, dum ipsi
consentire nondum valent, nimirum, *non*
recedendi ab illis, antequam ad annos, in
quibus ipsi consentire possint, *perveniant*,
id, quod est *septennium completum*. Pro
hac opinione apud Barbof. in c. 1. b. t. n. 6.
refertur Covarr. *lib. 3. variar. c. 14. num. 3.*
& alii. Verùm, etsi hoc probabiliter di-
catur, hæc tamen obligatio, *expectandi*
septennium, ut filio infanti resilire liceat
à Sponsalibus à Patre contractis pro eo,
ex contractu Patris, tanquam sponsalicio
provenire non potest; nam hoc supponit
filium absque consensu suo, dictis aut fa-
ctis expresso, obligari ex Patris promissio-
ne, & Sponsalia statim valere, quod est
falsum, ex c. *unic. 30. q. 2.*

Idem habetur in c. *Unico, h. t. in 6.* 628.
ubi expressè dicitur, Sponsalia amborum
infantium, vel alterius tantum, per super-
venientiam majoris ætatis, non validari,
nec publicam honestatem induci, nisi fue-
rint ratificata expressè, vel tacitè, verbo,
vel factò, aut cohabitatione. Sic Alagona
in *Compend. pag. 571. Sanchez. lib. 1. d. 16.*
num. 5. & seqq. & observandum in cit. c.
unico. §. idem quoque, addi: Sponsalia per
verba de præsent contracta inter impube-
rem, & puberem, vel inter impuberes,
non proximos pubertati, valere ut Sponsalia
de futuro.

Not. 3. in c. *Accessit. 5. b. t. haberi*, si 629.
puella ante desponsationem septimum
annum compleverat, licet Vir ab ea de-
sponsatione ipsius puellæ, ipso jure fue-
rit absolutus, cùm ea in ipsum consentire
noluerit, *inhonestum videri*, ut Matrem
habeat, cujus filia sibi fuit desponsata; &
ex

ex hoc à nonnullis deduci, impedimentum publicæ honestatis nasci ex Sponsalibus principio validis, sed mutuo Sponsorum consensu iterum dissolutis. Verum hæc deductio ex eo textu non rectè fit; nam, ut diximus supra, Sponsalia, de quibus loquitur textus, non mutuo Sponsorum consensu, sed ipso jure dissoluta sunt, ut liquet ex verbis allatis. Qui enim dicunt in casu, quo mutuo Sponsorum consensu dissolvuntur, non nasci impedimentum, justitiæ publicæ, id fundant in eo, quòd talia Sponsalia non habeant mutuanam consensu in utroque firmitatem.

630. Not. 4. in casu, quo mulier aliquem, tanquam Virum suum sibi vindicare contendit, & per idoneos testes probare nequit, quòd alter, cum haberet debitam ætatem, (nimirum, quòd, dum esset 14, vel circa finem anni XIV.) in eam consenserit, illum à Mulieris impetitione absolvendum esse, & ad alia vota transeundi

dandam licentiam, si is juramento affirmet, se nunquam in eam, dum in eætate esset, consensisse. Sic Urbanus III. in c. Attestationes. 10. h. t.

Not. 5. quando supra diximus ex c. 631. de illis. 7. h. t. quòd si major cum minore contraxit, exspectare debeat hujus pubertatem; & non ille, sed iste pubes factus resilire possit; intelligendum esse, si major spontè, ac non invitus contraxit, id quòd expressè habetur in c. ex Literis. 11. hoc. tit. ubi casus est de puella pubere, desponsata puero IX. vel X. annorum, & sub hoc ad domum Patris pueri de voluntate parentum potius, quam sua, traducta, quæ dolens, & invita, minis parentum impulsæ, per annum & amplius ibidem commorata, tandem ad propriam domum recessit, non exspectato tempore, dum puer annum XIV. compleret, liberata fuit.

QUÆSTIO III.

Ad Titulum III. de clandestina desponsatione.

632. **H**æc desponsatio propriè supponat pro Sponsalibus de futuro c. sufficit. 4. de sponsal. hoc tamen titulo supponit etiam pro matrimonii, seu Sponsalibus de præsentì, ut colligitur ex c. Tua nos. 26. eod. Cæterùm desponsatio clandestina dicitur, quæ sic occultè fit, quòd exinde legitimi testes vel probatio non appareant, ut dicitur c. Quod nobis. 2. h. t. Et quamvis Pereyra in Elucidar. n. 1672. enumeret 6. modos, quibus matrimonia clandestinè fieri dicuntur. 1. si contrahantur sine testibus; 2. si consummantur ante nuptiales benedictiones; 3. quando contra fidem primorum Sponsalium alia Uxor ducitur; 4. quando ante legitimam ætatem ineuntur; 5. quando contrahuntur tempore, quòd solennitas nuptiarum prohibetur ab Ecclesia; 6. quando omnis denunciationibus celebrantur: rectius tamen P. Sanchez. lib. 3. hic D. i. num. 3. duplex tantum agnoscit clandestinum; primum in quo testes

jure requisiti deficiunt, vocarique solet clandestinum simpliciter; alterum, in quo solum desiderantur denuntiationes, peritæ ab Ecclesia, ad perfectam ejus publicationem, & dicitur clandestinum secundum quid; de quibus in præsentì.

ARTICULUS I.

De matrimonio simpliciter clandestino.

Clandesimitas, quæ datur per defectum præsentia Parochi, & Testium, olim matrimonia sic clandestinè celebrata reddebat quidem per se illicita, sed non invalida. Illicita ex c. Nullus, 30. q. 5. ubi ex liceris Hormisdæ Papæ habetur: nullus fidelis, cujuscumq. conditionis sit, occultè nuptias faciat: sed benedictione accepta à Sacerdote, publicè nubat in Domino.

Dixi: per se illicita olim fuisse matrimonia clandestina, nimirum sine testibus contracta; quia ex se nihil deerat quoad substantiam; & inhibita erant solum ratio.